

## quadrati versus (*id est* tetrametri)

LACT. frg. 2 Brandt ap. RUFIN. GL VI 564. 7 sqq. Firmianus ad Probum de metris comoediarum sic dicit: «Nam quod de metris comoediarum requisisti, et ego scio plurimos existimare Terentianas vel maxime fabulas metrum non habere comoediae graecae, id est Menandri, Philemonos, Diphili et ceterorum, quae trimetris versibus constat. nostri enim veteris comoediae scriptores in modulandis fabulis sequi maluerunt, Eupolin, Cratinum, Aristophanem. prologos igitur et primarum scaenarum actiones trimetris comprehenderunt, deinde longissimos, id est tetrametros, subdiderunt, qui appellantur quadrati. in consequentibus deinceps variaverunt: modo enim trimetros, modo addito quadrante vel semisse posuerunt, id est vel semipede adiecto vel integro pede iambo vel sesquipede. haec per medios actus varie; rursus in exitu fabularum quadratos, quales diximus in secunda scaena. sed iidem quadrati, cum sedecim syllabis constare debeant, tamen plerumque fiunt viginti aut amplius syllabarum. hinc putantur metro carere nec ulla lege contineri».

APTHON. GL VI 78. 22 sqq. nostri enim in modulandis metris seu rhythmis veteris comoediae scriptores sequi maluerunt, id est Eupolin, Cratinum, Aristophanem. prologos itaque et primarum scaenarum actus trimetris comprehenderunt, deinde longissimos, id est tetrametros, subdiderunt, qui appellantur quadrati. postea in consequentibus variaverunt: modo enim trimetros, modo addito quadrante vel semisse posuerunt, id est semipede adiecto vel integro pede iambo vel sesquipede. haec per medios actus varie; rursus in exitu fabularum quadratos, quales diximus in secunda scaena, locarunt. sed iidem quadrati legitimi, cum sedecim syllabis iuxta ius proprium constare debeant, plerumque inveniuntur viginti aut amplius syllabarum. hinc existimantur metrum non tenuisse nec sua lege composuisse.

APTHON. GL VI 109. 19 sqq. notandi sane et huius modi versus, qui hexametro et pentametro versui per adiectionem et detractiōnem 'que' syllabae communes sunt, tamquam

et genitor divum quos terminat Oceanus.

hic enim accepta in ultimo 'que' syllaba hexametrum facit sic:

et genitor divum quos terminat Oceanusque.

at si una syllaba media post duos pedes et semipedem <de>trahatur, erit pentameter ita:

et genitor divum [quos] terminat Oceanus.

semipede enim ab hexametro minor, a pentametro maior est, qui a Graecis inter quadratorum versuum genera numeratur. [M.D.N.]